

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Alberti v. Haller Domini In Goumoens Le Jux Et Eclagnens.
Præsidis Societatis Reg. Goettingensis ... Primæ Lineæ
Physiologiæ In Usum Praelectionum Academicarum**

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCCLXXI.

VD18 11701269

Vorwort

urn:nbn:de:gbv:45:1-17141

CARISSIMIS AUDITORIBUS
FELICITATEM

ALBERTUS v. HALLER.

MIRAMINI forte, qua estis per-
spicacia, institutum meum, qui
viginti quatuor annis MAGNI BOE-
RHAAVII libro ad ordinandas præle-
ctiones usus, subito nunc consilium
mutem, propriasque in paginas dicere
incipiam. VESTRA sunt, O BONI,
commoda, quæ animum impulerunt,
ut per summas otii difficultates novum
mihi laborem infosuerim. Videbam
PRAECEPTOREM, neque enim un-
quam eo nomine dediscam appellare
BOERHAAVIUM, scripsisse institu-
tiones suas fere circa annum 1725.
neque enim recentiores libros eum
reperietis excitasse, neque usus est
WINSLOWII immortalibus descrip-
tionibus. Sed ab eo tempore anatome
ita locupletata est, ut a se ipsa plu-
rimum differat. Non adeo novæ par-

P R A E F A T I O.

tes corporis inventæ fuit, quæ mole
fua se efferant, eas priorum seculo-
rum labor occupavit. Sed finis &
lima inposita est plerisque descriptio-
nibus, auctæ in infinitum historiæ of-
fium, muscularum, ligamentorum,
viscerum, perfecta vasorum nervorum-
que expositio. Præterea ex varietate
librorum, quos diversos in usus le-
gisse mihi necesse fuit, collegi maxi-
mam vim experimentorum, quæ felix
casus observantibus obtulit, aut sagax
inquirentium industria ex natura eruit.
Multæ, excusate testes, hoc ipsum, in
quo mecum laboratis, theatrum adtu-
lit, multos situs, multas minutæ men-
suras, & particularum figuræ, vasorum
que propagines nobis utiles, mul-
tos felices indaganti morbos, aliqua
etiam passim nova subpeditavit. Quæ
ergo vel a BOERHAAVIO proposita
gratus repeto, vel intra hos viginti
sex annos magni invenerunt viri,
MORGAGNUS, **WINSLOWIUS**,
ALBINUS, **DOUGLASSIUS**,

P R A E F A T I O.

aliique in publica commoda nati homines: quæ passim ex diversissimorum scriptorum multiplici thesauro, quæ ex nostris demum dissectionibus boni in physiologiam collata sunt, ea visum est uno sermone, uno ordine, in libellum conjicere, qui nostros labores levet. Speravi ea ratione me nonnullas emendationes, additiones aliquas, & necessarias ordinis mutationes, evitaturum, & VESTRI meique temporis facturum compendium. Hoc etiam commodi libellus habet, quod aliqua rectius tradat, quam ego, nimis timidus sedecere a PRAECEPTORE aliisque, quos venerabar viris, aliter posui in priori opere, quam nunc repetito in humano corpore inveni. Erunt, qui objiciant, meram me scripsisse anatomem. Sed physiologia est animata anatomie.

Breviorem aliquanto sperabam me futurum: & ea quidem exspectatio me fecellit. Didici, non posse, de multis adeo rebus, multa dici, quin spatium

P R A E F A T I O.

requiratur. Resecta historia medicinæ,
abjecta omni controversiarum memo-
ria, stipatis in brevissimos numeros de-
scriptionibus, tamen meos limites ex-
cessi, longior fui, quam vobis mihi que
præscriptum semestre stadium admitteret.
Invito accidit, accidit contranitenti,
quem æqui excusabitis. Ita adolescite
in publicam felicitatem, cuius magna
pars sunt prudentes medici, inque
V E S T R A M , quæ parari omnino ne-
quit, nisi conscientia bene actorum
paratur.

Dedi in Georgia Augusta

d. 21. Sept. 1747.



A D A L T E R A M
E D I T I O N E M.

MULTA hic mutata invenietis,
mo OPTIMI, etiam sententias
alias, uberiora nonnulla, breviora alia.
Et illas quidem me melius cognita na-
tura mutare jussit. Qui possem alia
sentire, docere alia? Detraxi, ex ami-
corum consilio, nonnihil de ubertate
anatomicarum descriptionum, quæ se-
mestri tempore circumscriptis doctori-
bus remotæ forent. Addidi physiolo-
gica aliqua nuper conperta. Errores
typographi plurimos, & molestissimos,
neque in catalogo emendatos, hic,
quantum potui, expunxi. Itaque va-
lete & exspectate majus opus, in quod
nunc maxime me demergo. Eodem
nempe ordine, sed pleniori omnino
dictione & continua, absque notarum,
aut citationum interpositione, enarrare
constitui ea omnia, quæ ad rem phy-